Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 163
Quelle:
Copyright:

tini, Epiſtola ad *Paulum* II. Pont. quae incipit: *Cum et antea ſemper B. Pontifex intellexerim S. tuam in perquirendis maiorum noſtrorum ſplendidis geſtis mirifice oblectatam, et nunc quo amplior ſis, eo maiori quoque, ut par eſt, ſtudio excellentium Virorum magnifica queque perquirere* &c. Initium vero Opuſculi ipſius eſt: *Cum permagni ſemper feceris Philocrates cuiusque rei cognitionem* &c. Et finis: *pulcherrimum inter nos certamen amoris excitetur. Vale.* Subjecit Poſſeſſor: *Ο ἰωαννης κουσπινιανος ἰατρος και ποιητης ἐγραψε Anno M d VI 6to idus ſeptembres In Gmunden.* Quod Salinarum ſuper. *Auſtriae* ad *Trunum* fl. et lacum ſibi cognominem Oppidum aut feriarum autumnalium, aut medicae praxeos ergo petierit. Excuſa porro Verſio *Ariſteae Palmeriana* jam fuit *Romae* a *Conr. Schweinheim* et *Arn. Pannarz* a. 1471. ante *Biblia* f. non vero ante eadem *Norimb.* ab *Ant. Koburger* 1475. f. ut relatum fuerat *Fabricio l. cit.* utraque enim mihi objacent. Quae circa ejus νοθειαν a Doctis ventilata ſunt, habes apud eundem mox *cit.*

II. *fol.* 34. *Q. Septimi Florentis Tertulliani Carthaginenſis de carne chriſti Liber incipit feliciter.* Praemittuntur initia reliquorum etiam *Tertulliani* Operum, omnia *Cuſpiniani* ipſius manu, nam, quod aere pararet, typis excuſum eo tempore nihil erat *Tertulliani* praeter *Apologeticum*, unde mirere virorum eruditorum laborioſam operam, quam tamen illud conpenſabat, quod ejusmodi deſcriptio adtentam lectionem valeret. Incipit porro Tractatus: *Qui fidem reſurrectionis ante iſtos ſaduceorum propinquos ſine controuerſia moratam ſtudent inquietare* &c. et edit. *Rigaltianam Pariſ.* 1675. p. 307. bene aemulatur. Ultima ſunt: *quale fuerit quod in chriſto reſurrexit.*

III. *fol.* 74. p. 2. *Eiusdem Tertulliani de carnis reſurrectione liber incipit feliciter.* Etiam in edit. *cit.* p. 325. priorem excipit hoc initio: *Fiducia chriſtianorum reſurrectio mortuorum. illam* (illa) *credentes ſumus, hoc* (hanc?) *credere veritas cogit* &c. Et fine: *usquequaque potando refrigerabis.* Textus, uti prioris, ſat ſincerus.

CX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 87. f. per duas columnas luculente exaratus, rubricis diſtinctus, et poſtquam Epiſcopatus *Brixinenſis*, ut Insignia *p.* 1. ſubjecta produnt, olim fuiſſet, illuſtris Herois *Eugenii de Sabaudia* κτημα hoc titulo eſt: *Tractatus de differentia noſtre translationis ab ebraica littera veteris teſtamenti Nicolai de lira.* Vir hic inter ſacros Interpretes ſemper cum reverentia nominandus, de quo fontes collectos habes in *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. XIII. p. 114. patria *Normannus* fuit, ut docet ejus Epitaphium in magno Conventu Fratrum Minor. *Pariſiis*, cujus diſticho: E. 7

Nulla